



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 47. Finito prælio Maris Præfectus profugus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. porro ei in Franciæ Marefcalli munere
A.C. 1562. succedebat Imbertus Platerius.

Ceterum hæc pugna, in qua etiam Boissius apud Guisium Ducem supremus stabili Præfectus occisus fuit, per quatuor omnino horas durabat, atque cum ingenti vincendi aviditate, animique fortitudine utrinque pugnatum est.

§. XLVII.

Archithalassus post prælium secedens.

Thu. & Pop. **A**rchithalassus, cum undique violenta sclopetorum grandine impeteretur, numero impar receptui canere jubet, eodem tamen ordine, quo ad certamen ejus milites properabant, nam adhuc dum in primo agmine sub Hassio Marefcallo duo Germanorum equitum signa recensebat, ipsi vero medius inter eos, qui ex peditibus, & equitibus Galis supererant, incedebat, atque abductis secum omnibus belli tormentis composito gressu se ex prælio recepit: ultimum vero agmen Buchavianus intimus ejus amicus cum selectioribus copiis claudebat.

Equidem fugientes insequabatur Guisius Dux, verum vix septingentos vel octingentos passus confecerat, nocte conspectum utrique parti adimente, hostis in Novilla oppido plusquam unam leuca ab acie sito substitit: cum igitur

igitur Guisus loco, in quo certatum est, Sæcul. X^o.
A.C. 1562.
potitus esset, ac tormenta insuper qua-
tuor campestria signaque cepisset, quin
victoria penes Regium exercitum re-
terit, dubitari non potuit.

§. XLVIII.

*Archithalassi consilio de certamine
altera die restaurando reliqui
Belliduces obluctati.*

Hic demum fuit successus Drocensis
prælii, quod die decima nona De-
cembris commissum est, in quo Blainvil-
læ, aliisque vicinioribus locis magis
præclara fortitudinis specimina utrin-
que fuere edita, præcipue vero magis
singulare fuit, quod nulla velitatione ab
initio fuerit certatum, quamvis uter-
que exercitus per horam cum dimidia in
conspectu fuerit, sed statim totis viribus
concursum sit, atque utriusque exer-
citus Duces capti abstraherentur, nec
non tam Catholici, quam Calvinistæ,
etsi ambo fuerint devicti, servatis tamen
ordinibus denuo suas copias college-
runt, nullaque difficultate ex pugna in-
tutum sese receperint. Eodem die Co-
linius finita cæna, ut ambiguum magis
victoriam redderet, Germanos hortaba-
tur, ut altera die summo mane rursus
pugnam redintegrarent, pollicitus, eos,

*Thuan. l. 34.
Varillashist.
Charl. IX.
tom. 1. l. 4.
p. 379.*